

exertatis in medium congregatis aciem: postea
agmen claudentibus, qui fidei constantis vir-
tutisq; probatæ commilitones extiterunt: ita
pariter cum argumentis res se habet. vid. Cic.
Or. Perf. C. 8. & Kirchm. h. l. Jes. Mogunt. in
Pal. Eloqu. Exerc. 5. Lect. i Punct. IV. p. 253.
ubi & sequenti simili res illustratur: Ollæ quoque,
quibus nihil invenustius, si apte collocentur e-
legans quiddam & numerosum præ se ferunt.
Puto tamen ad connexionem simul respiciendum esse,
ut quæ optime cohærere possunt, etiam conjungantur.
Aliqui svadent post rationem debiliorem repetendā
esse fortiorē: sed dummodo id fiat absque tauto-
logia.

XL. Inter cætera observandum, TRANSITI-
ONES ab uno Argumento ad aliud sint comodæ, at-
que adeo artificium probe tegatur, quod artis esse
verè dicitur & judicii. Etenim dum catenæ instar
cohærere debet oratio, ATTENDENDUM nihilomi-
nus est, ut quibus articulis constet, appareat. Aliqui
variari cupiunt modum tractandi argumenta, & modo
proponi per Syllogismum, modo per Enthymema:
paria præstabit Chria ordinata & inversa, nisi malis
hoc artificium quererere in ipsa Periodorum variatione.

XLI. De CONFUTATIONE libet exscribere
Weisium Inst. Or. L. præpar. C. 6. p. 147: Res
est magni judicii, ut in Progymnasmatibus o-
stendi